# EPISTOLA PASTORALIS AD CLERUM ET POPULUM MUTINENSEM [JULIANUS...

Giuliano Sabbatini

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEE
B. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1056
17

Digitized by Google

Digitized by Google

A I

Digitized by Google

Digitized by Google

# EPISTOLA
# PASTORALIS
# AD CLERUM
## ET POPULUM
## MUTINENSEM.



ROMÆ

*APUD IOANNEM MARIAM SALVIONI*

TIPOGR. PONTIFICIUM VATICANUM.

M. DCC XLV.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

1056 . 17

Digitized by Google

# JULIANUS DE COMITIBUS
## SABBATINIS
## DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
### *SANCTÆ MUTINENSIS ECCLESIÆ*
## EPISCOPUS
# SS. D. N. BENEDICTI XIV.

Prælatus Domeſticus, & Pontificio Solio Aſſiſtens, S. Mariæ ad Pompoſiam Nullius &c. Præpoſitus Generalis, ac Perpetuus Commendatarius.

*Venerabilibus Fratribus, & Dilectis in Chriſto Filiis, Capitulo, Clero, & Populo Eccleſiæ, ac Diœceſis Noſtræ Mutinenſis Salutem in Domino Sempiternam.*

DIVINO prorſus conſilio factum putamus, VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII, ut Paſtorale onus, quod non multò pridem, virium noſtrarum imbecillitate perterriti, declinavimus, modò ſubire minimè vereamur. Licèt enim eadem de noſtra tenuitate opinio, idem omnino de graviſſimi muneris ratione, ac periculo præconceptus timor ſuperſit; vicit tandem non



Digitized by Google

dicam Populi in eam rem ſtudium, & veluti comunis quædam conſpiratio, ſed virorum prudentiâ, ac probitate clariſſimorum perpetuæ cohortationes & monita; eorum deinde conſenſus atque voluntas minimè obſcura, qui tantùm in nobis poſſunt, quantùm ſumma authoritas innumeris beneficiis confirmata, in homine ſummè obſequenti & maximè grato, valere debet, atque in primis BENEDICTI XIV. Pont. Opt. Max. ſupremum judicium. Quæ ſanè omnia Dei vocantis & præcipientis indicia diu ac ſeriò apud Nos reputantes, non potuimus denique non intelligere, id ſupernè fuiſſe conſtitutum, ut reliquum vitæ noſtræ curſum, quotus demum ac quantus futurus ſit, iſtius Eccleſiæ ſervitio, iſtiuſque Gregis curæ manciparemus.

Itaque humiliati ſub potenti manu Dei, cujus profectò erat aſſumptio noſtra, illum enixè atque intimo cordis affectu cæpimus deprecari, ut oculos ad ſacrificium noſtrum benignè intenderet, Noſque veluti victimam pro Ovibus illis accipiens, quas nobis cuſtodiendas committebat, ipſam expiaret, ac per infuſionem ſuæ charitatis perque uberiora gratiæ ſuæ dona ad debitum perfectionis faſtigium erigeret. Quæ ſanè vota cùm divinitus accepta ac probata fuiſſe percepimus ex ſub-

Digitized by Google

ſubſequuta per ejus in terris Vicarium exilitatis noſtræ electione, cæteras omnes curas protinus exuentes, ad eam unicè animum noſtrum intendimus atque defiximus, quæ ad Gregis noſtri tutelam ſalutem atque felicitatem ſpectaret.

Vos autem, VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII, in ejus curæ partem ac ſocietatem vocamus. Primos quidem, ut, opere & conſilio veſtro adjuti, noſtræ ſimul Populique ſaluti fortiter ac ſuaviter conſulamus: Alteros verò, ut Chriſtianam religioſamque docilitatem afferentes, cæleſtis doctrinæ ſemen excipiatis, earumque hortationum pabulum, quas, Deo inſpirante, aut coram per Nos, aut per noſtros in animarum procuratione Vicarios, atque adminiſtros contigerit exhiberi: Omnes denique, ut publicis privatiſque precibus novum Paſtorem impensè Deo commendetis, qui & ipſe circundatus infirmitate, debet & pro ſemetipſo hoſtias offerre, ut veniam ſibi ac miſericordiam conſequatur in auxilio opportuno, antequam cum fiducia ad Thronum gratiæ pro Populi ſui culpis atque offenſionibus propitiaturus accedat.

Cùm verò ad vos properabimus, VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII, quod fieri quantocius ſperamus, id non in ſpiritu erit

erit Legiſlatoris, ſed Patris. Habemus enim abundè ac dilucidè in Sacrorum Canonum Libris, habemus in Conſtitutionibus Apoſtolicis, habemus in Eccleſiæ legibus regulas atque præcepta, quibus unuſquiſque informatus atque inſtitutus, benè ac feliciter munere ſuo perſungatur: quòd autem peculiare Eccleſiæ noſtræ regimen ſpectat, habemus Synodicas Sanctiones Venerabilium Prædeceſſorum, quorum Nos memoriam, ſapientiam, ac ſanctitatem admiratione atque obſequio recolentes, nihil aliud profectò ad ſervandum ſanæ doctrinæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ depoſitum requiri arbitramur, quàm ſuperiorum temporum Traditiones atque Inſtituta in mentem atque in uſum revocare, amandatâ inutili prorſus curâ novas condendi leges, aut veteres recudendi tanquam noſtras atque recentes, cùm ſatis ſit eas, quæ ſapienter ſancitæ ſunt, ſartas tectas integraſque ſervare, eodem planè ſtudio, quo bonus Pater a filiis exigit, ut majorum hæreditatem cuſtodiant ac tueantur.

Equidem in multis, quæ nobis ſuſcipiendæ fuerunt, peregrinationibus, non ſine intimo doloris ſenſu animadvertimus, nihil eſſe perniciosius hàc noſtra ætate fidei morumque integritati, nihil quod verbi Dei virtuti, uberrimiſ-

rimiſque fructibus, quos produceret, magis obſiſtat, quàm ſpiritus quidam religioni maximè adverſus, ex quo, velut ab infecto limoſoque fonte, dimanant temeraria curioſitas, diſceptationes importunæ, audaceſque in rebus gravioribus, & cum Sacroſancta Catholica Fide magis adnexis intimèque conjunctis, quæſtiones; quas plerumque conſequitur oſcitantia ſumma, cordiſque ſtupor, atque in multis etiam Chriſtianarum conſuetudinum divinorumque myſteriorum contemptus atque abuſus planè non ferendus; quòd ſcilicet ij pedem in Dei ſanctuarium audeant inferre, de quibus præceperat ne intrarent in Eccleſiam ſuam.

Hanc labem tam exitialem, hanc lethiferam funeſtamque peſtem, divinâ protegente gratiâ, a dilectiſſimo Grege noſtro longè hactenus abfuiſſe ſperamus. At verò cùm tot Paſtorum effuſæ lacrymæ Nobis identidem ſubeant, ac triſtes gemitus, quibus miſerè ſparſum in Oves ſuas mortale virus nobiſcum ſæpè conqueſti ſunt, contineri omnino non poſſumus, quin Vos, Venerabiles Fratres, primis hiſce vocibus excitemus ad vigilantiam propemodum ſingularem, quâ aut aditum inimico homini præcludatis ne in agro iſto nobis commiſſo infauſta hæc zizania poſſit unquam ſuperſeminare, aut oculos Nobis manum-

Digitized by Google

numque ſuppeditetis, ut radicitus convellantur, colliganturque in faſciculos ad comburendum.

Hìc enim agitur de ſacro illo Depoſito, quod Princeps Paſtorum CHRISTUS JESUS propriis veluti manibus Apoſtolis ſuis conſignavit, quodque ab ipſis, nunquam interruptâ legitimâ ſucceſſione, fuit ad nos uſque tranſmiſſum, cujus quidem ſi Epiſcopus, tanquam primus atque præcipuus cuſtos, Evangelico Patrifamilias rationem reddet, non minùs certè ovium noſtrarum ſanguinem a Vobis, VENERABILES FRATRES, exquiret, qui ad Sacerdotale munus, atque ad Altaris miniſterium aſſumpti, ſocii nobiſcum operum, atque laborum in noſtro Ordine Epiſcopali fuiſtis quodammodo renunciati; illi in primis, qui aut ratione dignitatis ad noſtram propiùs accedentis, aut demandatæ ſibi curæ ſuper aliqua Gregis parte, debent in eam rem tam neceſſariam tamque nobis divinitus commendatam omnes induſtriæ ac ſollicitudinis nervos intendere.

Quòd ſi, Deo dante, illud feliciter conſequemur, ut, nihil omittendo, timendo nihil, veram in animis demiſſionem debitumque obſequium erga Dei verbum atque Apoſtolicas Traditiones ſervemus & in tuto ponamus,

mus, revireſcet profectò, ſi quid fortè acceperat detrimenti, mirificèque florebit in Clero, ac Populo noſtro vetus illa, quam ſummopere optamus, Eccleſiæ diſciplina, quæ a ſincera Evangelicæ veritatis veneratione profecta, non poteſt in præclaris egregiiſque operibus non præfulgere, quæ Chriſtianæ vitæ dignitati, ac ſanctitati reſpondeant. Hâc ſpe ſublevati ac erecti, quæ hanc Nobis optatiſſimam voluptatem pollicetur, fore ſcilicet ut Vos omnes in primo adventu noſtro ita affectos inveniamus, ardemus animo Vobis Paternam benedictionem coram impertiri, quam interea præmittimus in ferventiſſimi amoris noſtri pignus atque argumentum.

*Datum extra Portam Flaminiam* VI. *Idus Martii M. D CC X L V.*

JULIANUS EPISCOPUS MUTINENSIS.

99 957883 Digitized by Google

1.56 17
Digitized by Google

11

1056 17

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google